

Post c. 7. §. 12 c. 8. §. 19. De principio vero hoc Metaphysico: *Impossibile est idem simul inesse eidem secundum idem*, Philosophus dicit, quod natura sit omnium axiomatum principium lib. 4. Met. c. 3. Unde colligitur, quod Metaphysicæ seu Sapientiæ sit principia reliquarum disciplinarum probare.

PROBLEMA PRIMUM.

Principia prima cognoscendi seu Syllogistica, quantum possibile est, probare.

§. 1. Principium primum Axiomaticum hisce plerumq; verbis effertur: *Impossibile est idem simul esse & non esse*; Alterum v. hisce: *Quodlibet est, vel non est*: Quorum illud juxtaexplicationem & sensum Aristotelis etiam ita proponi potest: Idem de eodem simul verè affirmari & negari impossibile est, puta re non nomine secundum idem ad idem eodem modo, & si quæ aliæ limitationes addendæ sunt ex lib. 1. Sophist. El. c. 5. §. 4. Hoc vero ita enunciatur: Necessum est quodlibet unum de quolibet uno verè affirmari vel negari. Vid. lib. 4. Met. c. 6. & 7. lib. 3. Met. c. 2. lib. 1. Post. c. 1. & c. 8. §. 16. & 17. lib. 1. pr. c. 44. §. 2. & 5.

§. 2. Mendoza disp. Met. 3. sect. 3. §. 20. cum Javello existimat, dicta duo principia applicata terminis contradictoriis formaliter unum esse & idem, in contrariis autem non esse idem. Verùm principia hæc tota ad contraria applicari non possunt, modus tamen enunciandi prioris ad contraria applicari potest secundum veritatem rei: Impossibile enim est, contraria eidem simul inesse eodem modo, secundum idem &c. *ei γὰρ ἀδύνατον ἅμα καταφάναι καὶ ἀποφάναι ἀληθῶς, ἀδύνατον καὶ τὰναντία ὑπάρχειν ἅμα.* lib. 4. Met. c. 6. & c. 3. Modus autem enunciandi

C

ciandi